



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 131. An & qualiter impuberes contrahere possint sponsalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

TITULUS II.

De desponsatione impuberum.

Quæst. 131. An & qualiter impuberes contrahere possint sponsalia.

R Esp. Sponsalia contracta inter impuberes (quales sunt mares ante annum 14. ætatis, feminae ante annum 12. *l. sin. c. quomodo tutor. esse desin.*) ante annum septimum completum sunt Jure canonico invalida. Secus si contrahantur ab iis post annum septimum, eò quòd eo tempore, & non ante præsumatur discretio. *c. literas. c. accessit. c. ad dissolvendum. h. t.* Quòd si tamen inter septennes, adeoque habentes ætatem à jure requisitam unus necdum discretionem seu usum rationis adeptus esset, contra quòd aliàs regulariter accidit, adeoque præsumitur, sponsalia adhuc erunt nulla. Quòd ipsum vult *l. in sponsalibus. ff. de sponsal. dum dicit: in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonio nimirum quòd in matrimoniis semper sufficiat ætas in jure præscripta; in sponsalibus autem non semper; cum sæpe post septennium completum deest requisita discretio & usus rationis. Sanch. l. c. d. 16. n. 3. Gutt. de mat. c. 2. n. 3. Castrop. p. 6. n. 3. Pirh. h. t. n. 2.* De cætero, cur jus canonicum eandem in viris ac feminis requisiverit septennii ætatem ad contrahenda sponsalia, cum tamen requisiverit diversam ad contrahendum matrimonium, & est ratio, quòd ad sponsalia sufficiat usus rationis, qui eodem tempore, nempe post septennium advenire solet viris ac feminis; ad matrimonium verò requiritur potentia generandi, quæ tardiùs in viris reperitur, Pirh. l. c. ex Sanch. l. c.

Quæst. 132. Num ad hoc, ut valida sint sponsalia impuberum, necesse sit septennium esse completum mathematicè seu physicè, ita ut nulla dies desit, an verò sufficiat esse completum moraliter.

1. **R** Esp. Posterius non improbabiler doceri à Gutt. l. c. n. 7. & 8. Vivald. in Candel. ab aur. p. 1. de sponsal. c. 2. n. 15. & alii apud Castrop. l. c. n. 4. Fundamentum eorum est, quòd id, quòd parum distat, nihil distare videtur. Aristot. 2. *physicor. & l. penult. ff. de milit. testam.* & quòd jura requirentia septennium fundentur in præsumptione usùs rationis accedentis illo tempore; præsumptio autem ista cessare nequeat ob defectum duorum vel trium dierum. Quot verò dierum defectus morale illud complementum impediatur inter fautores hujus sententiæ non convenit. Jo-And. inc. *l. literas. h. t. n. 2.* Vegal. 6. *sum. cas. 101.* statuunt duos vel tres dies, Rodriq. 1. *tit. sum. c. 244. n. 2.* unam hebdomadam. Sorus in 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad. 3. Vivald. l. c. ulterius extendunt. Gutt. l. c. affirmat etiam medii anni defectum non impedire, quòd minùs septennium censetur completum.

2. Priùs tenent probabilius Sanch. *cit. d. 16. n. 4.* Ponc. l. 12. c. 5. n. 3. Cöninck. d. 21. du. 5. n. 51. quot citat & sequitur Castrop. n. 5. Fundamentum horum AA. est, quòd quoties à jure designatur certum tempus, illud compleri debeat physicè, ita ut nequidem unus dies deficere debeat, ut videre est in professione religiosa, ad cujus valorem; Trident. *sess. 25. c. 15. de regular.* exigit annum 16. completum, in presbyteratu, ad cujus licitam collationem

exigit 24. annos completos; ne aliàs liberum sit cuilibet tempus septennii restringere vel ampliare, quòd jura præscribita certum tempus vitare intendunt. Plures nihilominus inter hos AA. ut Ponc. l. c. n. 5. Cön. l. c. Pirh. n. 3. Sanch. d. 26. n. 2. & 4. Covar. l. c. p. 1. c. 2. n. 2. & c. putant non obstare, diem ultimum septennii completum non esse, modò cceptus sit; eò quòd favore matrimonii dies cceptus sit; eò quòd favore testamenti dies cceptus sit; eò quòd favore testamenti permissum sit, ut testamentum, quòd alias condi nequit ab eo, qui annum 14. non complevit, condi ab eo possit, qui ultimum diem anni 14. inchoavit; quòd tamen Castrop. l. c. n. 6. ait spectato rigore juris non subsistere; eò quòd tempus à jure determinatum currat à momento ad momentum. & confirmat id ipsum exemplo religiose professionis, in qua dies inceptus non habetur pro completo, ut ipse Sanch. probat l. 2. de mat. d. 24. n. 22. Quòd ad l. qua etate. ait esse specialem illam dispositionem, quæ ad alios casus extendi non debeat, præsertim cum non sit eadem ratio, dum testamentum testatori favorable est, & nullatenus onerosum; sponsalia autem, sicut ac professio partim sint favorabilia partim onerosa.

Quæst. 133. An saltem valeant sponsalia contracta ante septennium, dum constat contrahentes pollere perfectò usu rationis.

R Esp. Non convenire quoque in hoc AA. affirmant. Cön. Ponc. *ll. cit.* Covar. l. c. n. 1. Sanch. d. 16. n. 9. Rebell. de oblig. *just. l. 4. q. 5.* Fundamentum illorum est, quòd ideo præscribitur septennium; quia ante illud non præsumitur adesse usus perfectus rationis; adeoque cessante hic & nunc illa præsumptione per certitudinem de usu rationis tanquam sine ac fundamentò hujus legis, cesset lex hæc requirens septennium. Unde & dixit JC. in l. in sponsalibus. *ff. de sponsal.* ad sponsalia satis esse, quòd sponsi, quid agant, intelligant. Confirmantque hoc ipsum exemplo matrimonii, pro quo contrahendo, esto, à jure requisitus sit in feminis 12. annis, completus in maribus 14. si tamen malicia, hoc est potentia generandi ante illam ætatem alicui adveniat, validè contrahat matrimonium; *c. de illis. it. 2. h. t.* quia in eo cessat ratio, ob quam illa ætas 12. & 14. annorum præscripta. Negant è contra Castrop. l. c. num. 8. & quos citat. Abb. inc. *juvenis n. 5. & inc. gemm. n. 6. h. t.* Angel. v. *sponsalia. n. 3.* Marian. Socin. *conf. 3. vol. 1.* Rationes illius sunt, quòd si sententia affirmativa vera, jura statuere & dicere non debuissent; sponsalia ante septennium contracta esse nulla, sed præsumi debere esse nulla, quamdiu usus rationis perfectus non elucefcit. Item frustra septennium hoc à jure præscriptum esse, si solus usus rationis spectetur; quia stante usu rationis ante septennium valebunt; illo verò deficiente etiam post septennium non valebunt. Quòd autem matrimonium contractum ante præscriptam ætatem, maliciâ supplete ætatem, non valeat, id sit specialiter decisum à jure; quale cum nihil disponat vel excipiat circa sponsalia, hæc exceptio sine fundamento trahatur ad sponsalia.

Quæst.